

sed dicunt, *communicationem* CONSEQUENTEM ex *unione hypostatica*. p. 182. Ita AEGID. HVNNIVS *Tr. de Persona Christi* ad quaestionem: *Quid differat Communicatio Idiomatum ab unione ipsa?* respondet: *Differunt ut prius & posterius. Siquidem unio non quidem tempore, sed ordine naturae prior est Communicatione Idiomatum, & haec, tanquam effectus, ab unione dependet. Proinde non sunt unum & idem, sed revera diversa.* p. 43. Quod alios movit, ut non saltem differentiam aliquam in conceptu, verum etiam plane in *re ipsa*, reponerent, quod recte intellectum non vero est prorsus dissimile. *Sophisticum est*, scribit CALOVIVS, quod ait BERGIUS, *communicationem proprietatum ab unione hypostaseos & naturae aliquo modo esse distinctam: Quia non, nisi rationis duntaxat, discrimen admittit, nempe quatenus & ipsae proprietates a natura & hypostasi distinctae sunt. Non ergo vere communicationem & hypostaticam unionem distingvi asserit, ita, ut illa hujus sit effectus, quia causa & effectus veri nominis non distinguuntur duntaxat ratione. Adde quod BERGIUS per communicationem proprietatum nihil aliud intelligit, quam ipsam unionem & concursum proprietatum. Nostrae vero Ecclesiae non solum conjunctionem, seu concursum proprietatum, mediantibus naturis profitentur, sed credunt asseruntque, divinam τῆς λόγῃ naturam infinitam suam majestatem ac divinas proprietates vere ac realiter communicasse ac concessisse Humanae naturae, & hanc μεταδίδωσιν ac communicationem ab ipsa unione hypostatica distingui non tantum sola ratione, sed ita, ut haec communicatio vere sit effectus ipsius unionis personalis. Quod omnibus modis praefracte impugnant, cavillantur, & ceu Eutychianum blasphemant Calviniani: Nulla igitur hic dari potest conciliatio, quamdiu illi hanc communicationem proprietatum a nostris Ecclesiis assertam non admittunt sincere.* De Persona Christi p. 298.

§. XII. Non nisi pictam & fucatam itaque concordiam oriri posse, ex *consilio* Allocutoris, manifeste liquebit. Etiam si enim a Reformatis, idque haud gravatim, obtinuerit, ut conce-

dant